



BIBLIOTECA  
COMUNALE  
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI  
DI TRENTO  
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE  
**CARITRO**  
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

BASELGA GIOVANNI, *Lilium D. Iosephi panegyris elucubrata & habita a Ioanne Basilica seminarij Trid. alumno rhetoricae auditore eiusdenque professore Hieronymo Paggio Genuense c.r. Cong. Som. ac illustrissimo & reverendissimo D.D. Iosepho Ghelf Ecclesiae Trid. decano, canonico, necnon consiliario. Dicata*, Trento, Carlo Zanetti, 1648.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T I-op d 102

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/i65>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

Pisc. I. B. d. 374.

BIBLIOTECA COMUNALE  
TRENTO



*ex libris*



K 1959751

0 1959714

Stca

T I-OP d 102

Misc. I. S. d. 374. 26

L I L I V M  
D. IOSEPHI PANEGYRIS

Elucubrata & habita

A Ioanne Basilica Seminarij Trid. alumno  
RHETORICÆ AUDITORE  
EIVSDENQVE PROFESSORE

*Hieronymo Paggio Genuense C. R. Cong. Som.*

Ac Illustrissimo & Reuerendissimo D.

D. IOSEPHO GHELFI

Ecclesiæ Trid. Decano, Canonico,  
necnon Consiliario.

DICATA.



TRIDENTI, Typis Caroli Zanetti Imp. Episc.

superiorum Permissa. 1648.





Illustrissimo, ac Reuerendissimo D.

D. IOSEPHO GHELF DECANO

*Ioannes Baslica Faustitatem .*

**B**Xtimefcenti mihi hunc abortum, potiùs, quàm maturum foelicis ingenij partum sub tui patrociniùm in lucem edere, in quem, scientiarum gloria illustrem, antiquissimo nobilitatis genere ortum, ad supremos tandem Tridentinæ Ecclesiæ gradus elatum, nobiliora sua ornamenta natura videtur congeffisse, Animum auxit humanitas illa singularis, quæ Domus propria est Ghelphorum, qua me excipiens, contra inuidorum obtrectationem, in seruitute tibi addictorù numerum adscripsisti. Hoc cæleste Liliùm, sanctimonix miraculum, verè te decet; quem Celeberrimè huiusce Patriæ Ciues omnes in admirationem vsque suspiciunt, tum religione, prudentia, æquitatis amore constantissimo, cæterisque virtutibus, quæ absolutissimum constituunt administratorem. Excipias igitur serena fronte hocce Liliùm, istiusque patrociniùm, rogo te, suscipias; siquidem in Viridario tuorum Liliorum, tutissimum ab omnibus iniurijs erit; quis enim hoc violare attemptauerit, dum in se continet Veneni antidotum, & Angelus distrieto ense tuebitur? Fortunatè Dii Viue.

## ELOGIVM:

Ad Gaudia, Tridentini, ad Gaudia,  
Æternam sperate salutem:  
Alba Lilia vobis cælitus demissa,  
Spe ingentia, re maiora;  
Nullis sentibus rigentia albicant,  
Non genuino lacte Iunonis, sed niuceo probitatis  
Et puritatis candore.  
Candentia ferta contexite multo rosis  
Suauiora.  
Horror Liliorum nullus, qui manum deterreat,  
Qui verò alliciat, decor plurimus.  
Liliata mens, Liliata oratio, cuncta Liliata.  
Nullum monile hoc specie fias;  
Nihil hac Liliorum varietate distinctius.  
Erecti stipites Sydera suspectantes  
Rectam mentis intentionem  
quàm benè indicant!  
Hi Regij flores virtutum verè regiarum,  
Aureus hinc nitor diuinæ sapientiæ  
Perspicua documenta.  
Rigentem brumam nostra non metuunt Lilia,  
Perpetuo virtutum virore vernantia.  
Liuorem iam promeretur nostra foelicitas,  
Nulla tamen erit, quæ spes tantas decerpit Inuidia.  
Foelices quibus talia Lilia florent  
Ad Gaudia, Tridentini, ad Gaudia.

*Jacobi Chemotti Trid.*

ELO-



ELOGIVM.

Illustrissimo, ac Reuerendissimo  
IOSEPHO GHELF

Regia virtutum Corona redimito,  
Olim summo scholastico dignissimo  
Labantis D. Vigilij Ecclesiæ cardini:

Auitæ clementiæ viuæ imagini, paternæ pietatis hæredi;  
Religionis typo, prudentiæ oculo, singulari virtutum  
Omnium exemplari,

Vndecæ teri sumere possint, quod imitentur:  
Tridentinæ Ecclesiæ Vigilantissimo Decano  
In Decanali semper excubanti specula;  
Vnde præuidet, ac prouidet.

Collabantis Ecclesiasticæ disciplinæ Reparatori,  
Ad Imperij habenas regendas in lucem edito,  
Ut magis prodesset, quàm præcesset.

Cuius in domo regnat Ius

Vitiorum maculæ, emaculantur:

Sui victori Iosepho Ghelt amplissimo  
Sublimitatis fastigio nil intumescenti,

Nullas horrenti difficultates Pietate pectori armato;

Impetiæ non immemor benignitatis hoc humillimi;

Et perpetui obsequij anathema in immortalitatis templo  
Confecrauit

Fridericus Marinellus Tridentinus.

Ad Illustrissimū, ac Reuerendissimū D.  
IOSEPHVM GHELF  
DECANVM

*De eius Corona Laurea in Stemmate.*

**A**Rdua pandebat, precioso munere diues,  
Crassas platanus, Xere iubente, comas.  
Tu potior, IOSEPHE, iubes gemmascere Laurum,  
Quam Pytho necesse fore discerta suo.  
Gemmea Fœminei periere monilia regis:  
At tua nec fulmen Laurea ferta timent.

*Ioannis Maria de Martiniis Trid.*

Ad Eundem.

*Lilium.*

**V**lue Diè nulla flos ò moriture ruina.  
Siue ruat tellus, nubila siue tonent.  
Horrida gliscat hyems borealibus incita nimbis  
Non tibi bruma nocet, non tibi frigus obest.  
Iam tibi perpetuæ speranda est gloria frondis:  
Nam te mortales non posuere manus.

*Marci Antonij Calui Trid.*

Alluditur ad æternitatem Lilionum Familiæ Ghelfæ; quemadmodum enim Gallie Regnum diuinitus approbatum fuisse perhibetur, quo tria Lilia, quæ illi sunt adhuc regia insignita, de Cælo missa fuerunt Clodoueo, ita nunquam intermontura sunt hæc Lilia, quippe coelestis demissa.

Ad

Ad Eundem.

*Liliorum radix veneni Antidotum*  
*Ex Pl. in nat. hist. lib. 21. cap. 19.*

**F**loscule ruris honos, redolentis gloria Floræ.  
Certa salus hominum, maxima cura Deum.  
Noxia mortiferos effundant germina succos,  
Dira venenife & sæuiat ira feræ.  
Non virus, non herba nocet, non ira Cerasæ:  
Porrigis en certam tu mihi Germen opem.

*Ambrosij de Zenatis Trid.*

Ad Eundem.

*Lilia inimica Veneri.*

**S**ana Dionæis non feruent corda fauillis,  
Cæca nec infanum vulnera pectus alit.  
Non capiunt mentem morituri veris honores:  
Non malè femineo, quæ nitet ore, rosa.  
Non rapiunt animos pellacis lumina Circes,  
Subdolanus è falso dum pluit igne liquor.  
Iam restingue faces Iosephi en Lilia vernant  
Tela inimica tuis, ô Cytherea, rosas.

*Petri Picarij Tridentin.*

Ad

Ad Eundem .

*Ego flos Campi, & Lilium Conuallium Cant. 2. V. 1.*

**S**plendida pæstano viridaria murice florent  
Regibus: ast humili non adeunda pede.  
Culta Tarentinos pingunt violaria glebas:  
Sed refugit densis vepribus inde manus.  
Delicias claudit vernas Memphisiticus hortus;  
Hinc nisi nobilior munera naris habet.  
En ego flos Campi, patulis in vallibus halo:  
Me diues captet, meque fruatur inops.

*Francisci Mersij Tridentini.*

Ad Eundem .

*Fulcite me floribus quia amore languco. Cant. C. 2. V. 5.*

**F**lore meas fulcite genas, fulcite decore  
Veris: Odoratus sis mihi, Flora, totus.  
Tempestat pæstana mihi det fulcra rosarum:  
Murice sed latitant spicula: nolo Rosas.  
Naribus inspirent blandum violaria flamen;  
Mox languent violæ; languidus absit odor.  
Alba ligustra ferant niueis mihi crinibus umbras;  
Alba ligustra cadunt: tam breue nolo decus.  
Hei mihi quale petam blandi lenimen amoris?  
Sustineant artus qualia fulcra meos.  
Tu mihi Liligerum præbe fulcimina germen,  
Scilicet ignescit pectus amore tui.

*Antonij Begnudelli Trid. Poematis cincinnatoris.*

LILIVM  
D. IOSEPHI  
PANEGRIS.



Optarem summoperè Illustrissimi, ac Reuerendissimi Domini, Cæteri que qui adestis sapientia, ac nobilitate Clarissimi Auditores, vt ea in me dicendi facultas esset, qua non minori ad audiendū voluptate vos afficerem, quàm dicenti mihi, pro rei dignitate satisfacerem, cum enim necessarium sit, qui oratoris officio fungi velit, vt dicendi arte vir bonus existat: Quod sanè perorandi munus ego omnium minime idoneus coram vobis, in tam illustri loco, in hoc almo theatro; tanta nobilissimozum, atque doctissimorum virorum Corona circumseptus, obire contendo, vt pro singulari vestra in me humanitate, quam possum D. Iosepho panegyrim, non quam debeo connectam, difficile quidem onus, & viribus meis longè impar, verùm me recreat Liliorum odor suauissimus, me recreat benignitas vestra, inuitat humanitas, cogit mea In D. Iosephum deuotio, impellit pietas. At si Deus Opr. Max. diuinum quoddam dicendi genus esset elargitus, quod rei magnitudini responderet, libentiùs quidem, alacriùsque hanc dicendi prouinciam suscepissem, quam euitabat quidem ingenij mei imbecillitas, ne idem sibi accideret, perti-

nescens, quod olim Dædali filio contigisse fertur. Sed roboris multum recipit animus dum intuetur Iosephum, sicut Liliū coram Deo stantem. Largire itaque sancte senex, largire inquam mihi, enixè rogo te, vt tibi quoniam, sicut Liliū es coram Deo, Liliij nomine hanc, hodierna die, Pænegyriū centexam.

Intendite Auditores mentis oculos in Bethleem vbi ex illustri solo hoc liliū pullulauit in quo optima parentum disciplina irrigatis tenellæ infantie radicibus cæleste conuallium Liliū in tantam succreuit virtutem, vt vndique suauissimam sanctimonie fragrantiam emitteret. O quantum modestie odorem spirabat illius vultus sanctissime verecundus; O si audire potuissetis purissima verba, quæ ex illius ore prodibant, vobis quidem fuisset compertus candidissimus illius virginitalis flos, quem ad extremum vsque suæ vitæ diem illibatum seruauit, quemque natura ipsa in Lilio colorum ductibus adumbravit. Fulgentes quidem huiusce Auroræ Albores lætissimam prænucciabant diem, micantissimos sanctitatis radios effusuram. Inuocamus hoc Liliū, auditores, in Virginalis connubij viridarium translatum, in quo, qualem sanctimonie odorem effundebat, ego, cum in cæteris rebus tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, explicare minime possum. Ibi enim eam transigebat vitam sanctissimus senex, idemque omnium virtutum erat exemplar facile absolutissimum. Quid autem meis obijcitur oculis? mysticum, en Liliū ex hoc Virginali solo auelli cupiens animaduerto? Nunquid satis tibi non facit, ò Cæleste Liliū, huiusce viridarij feracitas? Nunquid in illo Mariæ secundi bonorum exemplorum zephyri non spirant? Nunquid in illud sanctitatis suæ radios haud fundit micantissimus sol, mystica Rosa, sanctissima sponsa?

Hu-

Humane generis hostis pestilentissimo afflatu tentaret huiusce Lilij odorem corrumpere, Virginis gravidum ventrem ostentans. Nihil tamen; nobis enim haud est obscurum, Lilia, & auulsa florere.

Reuertere Ioseph, reuertere, nam caelesti Liliorum rore mellificabis Spiritus Sancti opus; mella enim haec Lilia distillant, nulloque interuallo clanguet hoc Lilium. O in quantam post mentis regressum, ascendebat altitudinem? O quantum inter alios virtutibus se se ad caelum usque sacris precibus erigebat, ubi cum purissimis Angelorum mentium Lilijs vertabatur; non a Lilio recedens, cuius (Plinio teste) nec ullis florum proceritas maior interdum cubitorum trium. O quae altitudo! altitudo inquam Iosephi, qui etiam alios ad pueri Iesus amorem allicere, sua conabatur eloquentia, in hoc quoque, Lilio similis, cuius spolia linguarum speciem referentia, dicendi copiae symbolum habentur; quo iure quidem labia eius Lilia possumus appellare. Hic non tabulosa Orphei lyra; sed suis tantum verbis omnes deliniebat feras, quae farentes per Iudeam bacchabantur, eloquentiae suae Zephyris omnium immanitatem in tranquillum lenitatis portum adducebat, & qui videbantur lupi, coram Iosepho omni posita feritate, placidissimi Agni euadebant. Non poterant quidem huiusce Lilij odorem declinare. Quod adamantinum cor, quod aeneum pectus Iosephus in sui non traheret admirationem? O qualis eloquentia, o qualis linguae facundia! Aurea quidem mihi in praesentia opus esset lingua, dum quam delectaretur saluator huiusce fragrantissimo, caelestis Lilij, odore, sum commemoraturus. Percipiatur hoc ex ipsiusmet Christi verbis, referente Isulano, ego, inquit, diligebam. Ioseph valde, sicut pupillam oculi mei; Et quo-

ties Deus Opt. Max. mutæ benevolentia significationem dederit Iosepho, testetur ipse, & vestram reuocet in memoriam, quoties ipse à lucidissimo iustitiæ sole proprio fuerit irradiatus aspectu, & sepè, ac sæpius infantem Iesum se se Iosephi, amplexibus præbuisse.

Huic iam Lilio nullum cælestis Viridarij florem parem inuenire possum, nisi ipsum Deum, genetricemque Mariam. Paradisçi huius Lilij patrociniū implorantibus omnia concedit Deus; nihil ei, pro nobis interpellanti negat. Allicit huiusce Lilij odor, veluti Pardus, non vt enect; verùm, vt immensa beneficiorum irriguitate felices, reddat eos, quos dilexerit. Ne taceamus elingues Auditores, hocce Lilium maius fuisse ipsemet saluator, Christo, ac Virgine Rosa, pulcherrima Rosarum; subditus namque erat Christus Iosepho, vt filius; ei Virgo, vt sponsa. Angeli in Coelis subsunt Deo, Ioseph verò præfuit, quoniam pater eius appellatus est, Angeli Deum contremiscunt, Ioseph complectitur, brachijs itringit, & exosculatur, Angeli à Deo semper accipiunt munera, Christus à Iosepho accipit alimenta, brachijs defertur, eique Ioseph, veluti Lilium arridet, suauissimoque odore blanditur. Quod si olim somniator ille Patriarca Ioseph dixit se vidisse Solem, & Lunam adorare eum, noster Ioseph vidit verum Solem Christum, & veram Lunam Mariam sibi obsequentes, & subditos, quod mirabilius est, & si Sol stetit ad vocem Iosue, Christus Sol iustitiæ stetit ad imperium Iosephi, & ei ministravit; Vnde rectè Poeta.

*Christe tuum decus & Ioseph si gloria utrinque  
Certent, me, Ioseph, indice, visor erit,  
Cum Deo parent, Ioseph tua gloria crescit,  
Crescit bonos: paret nam Deus ipse tibi.*



O amorē omnem oratoriam facultatem, ac humanam amplificationem longissimè exsuperantem! Ecce vobis auditores, ecce vobis qui pascitur inter Lilia. O sanctissime infans, qui ex omnibus floribus orbis vnum tibi Liliū elegisti. Sed fare age, humanissime puer, rogo te, fare, quare non talis, qualis nunc es in cælo magnus, Iosepho te te tractandum obtulisti? Fortassè, quia is innocentiae candore, infantiae similitudinem gerebat, idcirco infans cum Iosepho versari voluisti? An, vt illi maiorem ostenderes beneuolentiam, ac suauis ei blandireris, sicuti infantibus est solemne; te enim talem inueniendi cupiditate ardebat sponsa, dum in hæc verba: Quis mihi det fratrem meum fugentem iherosolyma maris meae, vt inueniam te foris, & desculer te? O fortunatissime senex; Tu tuis tantum meritis, non aureis catenis, quibus commentitia illa numina Iouem è cælo trahere fuerunt enixa, summum, & verum Iouem, in tuos amplexus rapuisti. In tui trahantur admirationem sæcula omnia; tuarum enim precum musices concentus tam gratè ad diuinas aures accessit, ut cælesti symphonia, non secus atque contempta, è cælo descendent, & tuis se ipsum paternis imperijs commiserit. Sed ex Dei ad proximi charitatem si placet, transeamus, auditores, sexcenta ad proximi salutem ab eo patrata miracula tacitus oratione mea non attingam. At ne uestra profectò, qua huic meae incomptæ orationi aures præbetis, abutar humanitate, silentij tenebris non inuoluam unius prodigij splendorem, splendorem ad illius lucem contemplandam uestrarum mentium Aquilas laceffentem. Religioso igitur cuidam Hispano iter facienti, & uiam erranti ad cuiusdam montis radices obuiam se se fecit Sanctissimus senex, qui ipsum rectam uiam edocuit, & ab inimicenti

uenti mortis periculo vindicauit, quasi deuotionem ipsi-  
met Religioso pari comparandi gratia, desiderio flagra-  
ret, custos exiit in itinere, cō quōd sufficienter hoc di-  
dicerat fugiens Herodem in Ægyptum, & indē in partes  
Gallileæ, & à Gallilea in Iudeam, & Bethleem, vt Cæ-  
saris Augusti edicto pareret. Oficinus perennitate dignis-  
simum, nulla sæculorum ætate silendum. Quid vobis de  
hoc Lilio videtur, auditores? Hoc itaque Liliū; hunc  
insignem virum Iosephum, debito veneremur in terris ho-  
nore, quem Deus pater honorificat in coelis, quem Deus  
filius, vt patrem agnouit in terris, quem eius Mater Virgo  
veneratur, vt maritum; neque enim vanus erit noster ho-  
nor, vana deuotio, nam si serui, & amici multa apud  
Deum possident, quanta hic vt pater, poterit?

O Liliū in symbolico ecclesiæ Viridario prodigiosum,  
vt non mirer, si tot à Deo ter Opt. ter Max. tauoribus  
fuerit insignitus Iosephus. Ille enim prophético excel-  
luit spiritu. Non est igitur admirandum, si hocce Li-  
lium tot cælestium gratiarum imbribus irrigatum ad tan-  
tam se se euexerit altitudinem, vt in cælum vsque supra  
Angelicarum mentium Lilia fuerit elatum. Illa enim, vt  
audistis, è Cælo descenderunt, vt illi famularem operam  
præstarent. O quanta magnitudo; non discrepans tamen  
à Lilio, cuius nec vllis florum proceritas maior, inter-  
dum cubitorum trium, languido semper collo. Langui-  
do inquam semper collo vidissetis Iosephum. O quanta  
animi demissione vestimentis coopertus despiciatissimis in  
vilioribus se se exercebat ministerijs, quorum nubibus  
micantissimum meritorum solem obuelabat.

Illi enim compertum erat illud diuini spiritus effatum:  
Quantò maior es, tantò te humilia in omnibus. Hoc  
quidem

quidem nobis etiam est perspicuum in ipso Deo, qui humana indutus carne se abiecit usque ad mortem, ideoque ad tantam sublimitatem est euectus, ut omnem magnitudinem, gloriam omnem antecellat. Super omne nomen. Ita quidem est, auditores. Qui se humiliat exaltabitur. Sic tu Iosephe, qui tanta animi demissione in hoc terrarum orbe te abiecasti, iam in Cælo ad illam es elatus gloriam, quam humana mens, nec quidem potest assequi cogitatione. O Beatissimum Liliū, quod nunc in Cæleste translatus Viridarium Virgineo candore, prophetico spiritu, florescis. Tu profecto, Iosephe, quæ singula cæteros, ornant, et insequutus es uniuersa. Suscipe igitur nostram, suscipe causam, & à nobis peccatorum angues, necem animæ inferentes expelle. Age tuis precibus, age, ut ille, quem tu inter tua brachia fuisi amplexus, nos quoque suæ gratiæ uelit commendatos, ut tandem aliquandò post huiusce uitæ curriculum tecum præsentissimo illius aspectu in Cælis frui ualeamus. Vos itaque Auditores nolite huius Sanctissimi Viri obliuisci, quin eum sedulo inuocate pio affectu, nam neque ille in necessitate uos deseret. Usque adeò enim, teste Echio, mutua illa Iosephi cum Domino Iesu, & Virgine Maria conuersatio immensam dignitatem ipsi peperit, undè sperare liceat quidquid filium suum, & Christum rogauerit Ioseph, uel etiam coniugem dilectissimam Marianam, eius rei repulsam passurus sit nunquam. Quanta ergo cum fiducia (quod olim Cicero Cæsarem pro Deiotaro, ipsius Cælaris hospite orans dixit; per dexteram obtestor, quam hospes hospiti porrexerat uiro parceret, & obtinuit) dicere Christo poteritis Auditores, per dexteram te Christe, obtestor illam quam hospes quondam  
por-

porrexisti Iosepho, mea mihi condones peccata, gratiæ  
tuæ recipias sub alas, meque hospitis tui chari, indi-  
gnum licet seruulum, protectionis tuæ digneris benefi-  
cio.

Dicebam.

*Joannes Basilica Tridentinus.*

DIVI

# DIVI IOSEPHI

in Ægyptum fuga iussa.

CARMEN.



*Omnia fert animus gracili celebrare camæna  
Insignis pietate viri, cui credita Virgo  
Diuiparens, summi profugus, monituq;  
Tonantis*

*Bethlemias linquens sedes, dulcesq; penates  
Qui sacram sobolem Herodis subtraxit ab ira.  
Sed vos ætherei volucres, Diuaq; cohortes,  
Ægmina pennipedum sacros referate furores,  
Intima Cælestem spirent præcordia Phæbum.  
Pandite, tuq; prior Gabriel, male nota canenti;  
Quandoquidem non vlla latent, viresq; ministros  
Dum tenue exili carmen meditabor auena.*

*Expansis Erebi claustris vesana libido  
Regnandi imperio Ditis comitante furore  
Exierat rabido ore furens, anguesq; sinistra  
Cristatos tentans, excussa, terque, quaterque  
Casarie horrendi capitis; linguisque micabat  
Serpens horrendum stridens, saniemque venenum  
Ac furiale vomens; tandem ad penetralia venit  
Regis Idumæi scissumque à vertice crinem*

A Vipereum

Vipereum Regi immisit ; furit ille per artus  
Ipsius , atque sinus ; patitur non vulnera corpus  
Mens una inficitur ; tacito sub pectore vulnus  
Figitur , insanà rabie prae cordie feruent  
Quin etiam lachrymas , mixtum stygiumque venenum  
Cerbereis spumis , & dira cladis amore  
Membra superfudit ; ravidus membra occupat aestus .  
Interea Herodes horrorem cadis anbelans  
Nescit stare loco ; metuit ne summa potestas  
Occidat imperij , crepitantiaque arma capefcit  
Bethlemia turba infantum sitibunda cruorem .  
Summus at hæc solio rector prospexit Olympo  
Enitido ventura animo , ac miro ordine cernens  
Funereo ferri sonitu , gemituque cadentum  
Infantum , ac matrum scindenda ululatus astra ,  
Multiplici exemplo volucrum quos fulgidus ordo  
Continet , è numero , Triadis quibus alma potestas  
Utitur , accisi iussi (cui sepe supremos  
Et sensus referre solet mysteria mentis  
Atque referre suæ ) Gabrielem , hæc fari orsus :  
Felix è Gabriel , o terque , quaterque Beate ;  
Quandoquidem tibi consilia , ac mysteria Dia  
Panduntur Triadis , semper datur atque tueri ,  
Oraque , conspectumq; meum , mi fide minister  
Nunc opus est leuibus pennis , celerique volatu .  
Est locus in terris humilis prope Nazareth oras

Vrbem

Urbem Bethlemiam vocitant, ibi mitis egestas  
 Constituit sedem; veterum semiuſta domorum  
 Culminaque hic adſunt rudia, ac magalia ſurgunt;  
 Paſtorum, ac pecudum ſedes, ſtabulumque ferarum,  
 Immani premiturque ingo crudelis Apella.  
 Non tamen eijcitur pietas, quò maior egeſtas  
 Gratiſ est ſuperis populus. Lex regnat Amoris.  
 Relligionis honor viget, & concordia dulcis.  
 Ducit ibi Uirgo pallentis terror Auerni,  
 Haud ignota tibi, Virgo caſtiſſima vitam  
 Scaudere digna Polos, rabido metuendaq; Diti  
 Virgo digna caput ſtellis redimare, comanti  
 Membraque ſole tegi, atque pedepracingier orbe  
 Lunari, rapidosque globos calcare iacentum  
 Cælorum, medicina agris, ſuperisque verenda:  
 Hæc peperit Chriſtum, miſero, mundoque ſalutem;  
 Et manet in vili thalamo ſub paupere tecto.  
 Hæret huic cuſtos nutans ætate IOSEPHVS.  
 Uxorem hic Mariam, tenerum puerumque tuetur.  
 Grex verò infeſtus Cælo deiectus ab altis  
 Sedibus ipſius, celebrat qui Acherontia regna  
 Nunc votis obſtare meis, nos vincere tentans  
 Optat, & ex Erebo miſit rabiemque, trucemque  
 Regnandi ardorem. In pueros ſeuire coegit  
 Herodem; iam bella parat; furor arma miniſtrat  
 In Chriſtum, ferrumq; viaq; cruore rubeſcent.

Tu verò Gabriel Cœlestes defere sedes ,  
Hæc capediſta memor , terræ te confer adoras ,  
Iceler, & Mariã moneas, Sponſumq; , IOSEPHVM,  
Ut ferat effugiens peregrina ad littora natum .

Ergo ubi cognouit Volucris decreta Tonantis  
Protinus aereos campos , ac nubila tranat  
Corporeo Angelicam ſpeciem velamine cingens  
Atque celer nitidi tendens Orientis ad oras ,  
Non procul unde oritur flammans Phœbeia lampos ,  
Somnia dimiſit, valuasque recluſit eburnas .  
Nec dum erat orta dies , nec dum ſulgebat Eoo  
Præuius auricomi Titanis Lucifer orta .  
Nec dum vlllo umbroſa reſonabant alite ſyluæ ,  
Perque ſpecus cingebat apros indagine Phæbe ,  
Exierant , ſomnusque, & opaca ſilentia latè  
Explicat ergo ales , comitantur ſomnia circum ,  
Auratas pennas , ſubit , ac penetralia teſti ,  
Diuus ubi ſponſus prædulci lumina ſomno  
Clauferat expellens curas , animique labores ,  
Intereaque ſenex nitidum ſibi viſus Olympum  
Scandere ; letitia tacito ſub pectore geſtit .  
Obſtupuit ; lucem , ſimulacraque circumſpexit ,  
In quibus agnouit Iuda ſe ſanguine natum ,  
Ducere in Vxorem virga ac ſtorente Mariam ,  
Lignaue tractantem , variisſque laboribus ang  
Conſpicit , in biuiio curis , dum corda labarent ,

Sedoſtum



Sedolium Gabriele Deimysteria, mæstis  
Et solui curis; cernit Christique parentem,  
Eosque videt dantes sibi munera Reges.  
Dumque stupet, gaudetque simul, latatur & vltro  
Ingens ipsius perscrinxit lumina fulgor.

Æthere mox volucrum tonuit vox musica ab alto.

Tum patuit Gabriel solis demore coruscans  
Albi comante latus medium pracinctus amictu,  
Pennis ac rutilis fulgens, pernixque cothurnis,  
Compellansque illum dictis sic fatur amicis.

O decus, ò proles atavum satè sanguine Regum,  
O venerande senex, cecidit cui cura parentis  
Virginis, & tantum puerum cui Numina credunt,  
Surge age, rumpe moras, oculos furare quieti.  
Nunc aliò te fata vocant, iam subtrabe natum  
Crudeli ferro, Regis furijisque cruentis  
Respice, qui manes Erebi, qui Tartara fundet,  
Qui genus eripiet Stygijs mortale catenis:  
Quique triumphatis, Cæli ad Capitolia, monstris,  
Impellet currus, & figet in arce trophæa.  
Ecce cohors Ditis rabidis lymphata venenis  
Usque furit reperire Deum. Iam cæde penates  
Squallent. Heu quantas strages, quot funera miscet?  
Omnia dant luctum; responsat mænia questu.  
Infælix mater quarit per vulnera natum;  
Conatusque sinu partus abscondere frustra.

Undique

Undique fit gemitus, iam vox est vna quarentum.  
 Effusi crines errant ludibria ventis.  
 Innocuique cadunt pueri ludibria fessi.  
 Effusa voces strident ludibria ventis.  
 Pectora tunduntur; resonant singultibus astra,  
 Funestatque lares tristissima mortis imago.  
 Sanguinis undantis decurrunt flumina latè,  
 Perque vias miscet cunabula triste pheretrum  
 Cui modo vitales hausit vagitibus auras  
 Lux rapitur vite crudeli morte perempto.  
 Infantes rapti mixtum cum sanguine fundunt  
 Lac. Mactis artus cædis glomerantur acervis  
 Cuncta horrore iacent victrix mors vna triumphat.  
 Heu fuge crudeles terras, comitabor euntem,  
 Iam ferus hostis adest; tecum properatque Virago,  
 Tuque Parethonios adfert sacra pignora fines.  
 Pace frui hic vobis dabitur, dulci que quiete.  
 Summus Rex Diuum nitidi moderator Olympi  
 Hac tibi deferri iussit mandata per auras  
 Hac ubi dicta dedit præceps diffugit in astra.  
 Percitus his dictis JOSEPH surrexit, inersque  
 Protinus effugit somnus, gelidusque cucurrit  
 Imma per ossa tremor, nati percussus amore  
 Arripuitque fugam Diui sibi dicta capefcens.  
 Hac fuga iussa fuit; sunt isthæc somnia IOSEPH.  
 Canebam.

*In Iosephi manibus arida virga virefcit.*

EPIG.

**A** Renti incumbunt iuuenilia membra bacillo,  
Atq; IOSEPH gestant robora sicca manus.  
En subita robur velatum fronde virefcit,  
Emittitque nouas arida virga comas.  
Forſitan aurati digni ſunt fronde capilli?  
Forſitan hæc arbor prandia læta tegit?  
Spes tua ſit viridis iuuenis, tibi iunge Mariam;  
Nam miros fructus frons tibi mira dabit.

*Hæſitat an Virginem dimittat.*

EPIG.

**V**iscera ſacra tumet partu ignorante IOSEPHO,  
Et dubio, an cara Virgine ſe ſpoliet,  
Angelus ecce viro claudenti lumina ſomno,  
Semine cœleſti nunciat eſſe grauem  
Exulta: dum te alloquitur legatus Olympi  
Tandem pax cordi redditur alma tuo.

*Angelus*

*Angelus eum monet, ut eat in Ægyptum.*

EPIG.

**A**ngelus ætherea velox delabitur arce,  
Et fundit casto talia verba IOSEPH.  
Has oras fugias, penetresq; Ægyptia regna;  
Nam Christi est nobis grata, patriq; salus.  
Imperijs ne tu Cœli parere recules:  
Illo florebit palma sacrata solo.

*It in Ægyptum.*

EPIG.

**I**mmitis sedes Regis petit ecce IOSEPHVS;  
Deserit & Patriam, conspicuumque solum.  
Illic percurrit rupes, & in hospita saxa,  
Et vitat nati fata eruenta Dei.  
Gaude: tu poteris vitare pericula multa:  
Nam tecum semper stella Diana micat.

*Moritur*

*Moritur ante Christum.*

ÆPIG.

**N**ondum Reſtorē Chriſtus ſuperarat Auerni,  
Nondum Tartarei clauſerat ora canis.  
Nondum verberibus laniarat iniqua propago,  
Fixerat & celsæ membra ſacrata trabi.  
Clausit perpetuo cum languida lumina ſomno,  
Oppetiſtque ſenex vltima fata IOSEPH.  
Hic animam prius halauit, ne ſæua videret  
Funera; ſed nati clara trophæa ſui.

*Lilium Joſephi virginitttis.*

EMBLEMA.

**C**andida gramineis albeſcunt lilia pratis,  
Et Parijs gemmis candidiora nitent.  
Labibus albedo haud vllis turpatur, honores  
Candor Olorinos intemeratus habet.  
Sic quoque virginitas fulget Diuina IOSEPHI.  
Sordibus, & maculis turpibus illa caret.  
Signa pudicitix ſeruat verecunda, nihilque  
Illa candidius terra, polique vident.

A

*Lilium*

*Lilium in dumis eiusdem patientia.*

EMBLEMA.

**C**ingunt hamati sublimia lilia dumis,  
Candoremque suo spina tuetur acu.  
Hi medijs gaudent flores in vepribus esse,  
Et cingi à duris obsidione rubis.  
Sic fert ille senex patienti pectore dura,  
Obstat & aduersis casibus, atque malis.  
Rebus in angustis animosus, fortis, & audax  
Apparet temnens ardua cuncta IOSEPH.

*Lilium aurea grana habens eiusdem amoris in Deum.*

EMBLEMA.

**L**ilia cana fouent flauentia semina corde,  
Et niueo condunt aurea grana sinu.  
Mittetur flauum miris candoribus aurum,  
Pingitur auratis Margaris ista notis.  
Sic adamat cœli vibrantem sceptrâ Iosephus,  
Insculptumque Dei pectore nomen habet.

*Jdem.*

*Idem beneficijs à Deo in se collatis mortales adiuuat .  
Lilium .*

EMBLEM A .

**A** Vroræ liquidis sparguntur lilia guttis .  
Et matutino candida rore madent .  
Ecce patent, en pectus hiat, diffundit odores ,  
Quos non Indus ager, terraque iaculat Arabs .  
A Cælo acceptis largus sic gaudet Ioseph  
Annuerè officijs, atque iuuare solo .

*Lilium inter alios magnitudinis eiusdem .*

EMBLEM A .

**E** Xtollunt inter flores caput ecce superbum ,  
Et pandunt canas lilia summa comas .  
Illis concedit genialis Amaracus, illa  
Cum nigris violis alba ligustra colunt .  
Sic Mariæ coniux homines supereminet omnes ,  
Et præstat cunctis integritate viris .

*Eiusdem .*

*Eiusdem virtutum complexio. Liliū.*

EMBLEM A.

**P**lebs humilis florum veneratur lilia cana,  
Cingit & albi comum densa corona caput.  
Hic Cyprios spirat ridens hyacinthus odores,  
Illic narcissus, caltha, crocusque nirent  
Virtutes decorant variæ pia corda IOSEPHI.

Et mens ornatur dotibus eximijs.  
Tot nitidus stellis non illustratur Olympus;  
Quot lucent animo lumina clara senis.

*Cur Faber lignarius Virginis sponsus fuerit.*

EPIG.

**H**umanum in peiora genus Rex vidit Olympi  
Tendere, & optabat sternere ad astra viam.  
Mox Mariæ Sobolem, tractanti ac ligna Iosepho  
Misit & effudit talia ab ore sonans:

I celer, haud timeas, fili, comitabor euntem;  
En tibi mater adest; hic tibi sitque parens.  
Hæc tibi dux aderit; lignis sed ad ætherea tollens  
Ille gradus, cœli ad sidera sternet iter.

*Ad Illustrissimum, ac Reuerendissimum*

D. IOSEPHVM GHELF DECANVM.

**H**æc, quæ spinosis horrescunt carmina dumis  
Pignus Amoris habe.

Sæpe inter steriles videas florescere sentes  
Lilia candidiùs.



is. Liliam.

ur lilia caua,  
corona caput  
ius odores,  
e nitent

IOSEPHI.

mpus;

enis.

is fuerit.

dit Olymp  
astra viam  
Iosepho

ntem;

rens.

rea tollen

ANVM.

na dumis.

Biblioteca  
Comunale

T

I-op

d

102

TRENTO

Misc. I. S. d. 374 Lt

L I L I V M  
D. IOSEPHI PANEGYRIS

Episcopi ...  
ita  
alumno  
TORE  
ORE  
Cong. Som.  
no D.  
E L F  
onico,



Imp. Episc.

